

Confessio Archipoete

Estuans intrinsecus ira vehementi
in amaritudine loquor mee menti.
factus de materia levis elementi
folio sum similis, de quo ludunt venti.

Cum sit enim proprium viro sapienti,
supra petram ponere sedem fundamenti,
stultus ego comparor fluvio labenti,
sub eodem aere numquam permanenti.

Feror ego veluti sine nauta navis,
ut per vias aeris vaga fertur avis;
non me tenent vincula, non me tenet clavis,
quero mei similes et adiungor pravis.

Michi cordis gravitas res videtur gravis,
iocus est amabilis dulciorque favis.
quicquid Venus imperat, labor est suavis,
que numquam in cordibus habitat ignavis.

Via lata gradior more iuventutis,
implico me viciis immemor virtutis,
voluptatis avidus magis quam salutis,
mortuus in anima curam gero cutis.

Presul discretissime, veniam te precor,
morte bona morior, dulci nece necor,
meum pectus sauciat puellarum decor,
et quas tactu nequeo, saltem corde mechor.

Res est arduissima vincere naturam,
in aspectu virginis mentem esse puram;
iuvenes non possumus legem sequi duram
leviumque corporum non habere curam.

Quis in igne positus igne non uratur?
quis Papie demorans castus habeatur,
ubi Venus digito iuvenes venatur,
oculis illaqueat, facie predatur?

Si ponas Hippolytum hodie Papie,
non erit Hippolytus in sequenti die.
Veneris in thalamos ducunt omnes vie,
non est in tot turribus turris Aricie.

Secundo redarguor etiam de ludo,
sed cum ludus corpore me dimittit nudo,
frigidus exterius, mentis estu sudo;

tunc versus et carmina meliora cudo.

Tercio capitulo memoro tabernam:
illam nullo tempore spreui neque spernam,
donec sanctos angelos venientes cernam,
cantantes pro mortuis: „Requiem eternam.“

Meum est propositum in taberna mori,
ut sint vina proxima morientis ori;
tunc cantabunt lecius angelorum chori:
„Sit Deus propicius huic potatori.“

Poculis accenditur animi lucerna,
cor imbutum nectare volat ad superna.
michi sapit dulcius vinum de taberna,
quam quod aqua miscuit presulis pincerna.

Ecce mee proditor pravitatis fui,
de qua me redarguunt servientes tui.
sed eorum nullus est accusator sui,
quamvis velint ludere seculoque frui.

Iam nunc in presencia presulis beati
secundum dominici regulam mandati
mittat in me lapidem neque parcat vati,
cuius non est animus conscius peccati.

Sum locutus contra me, quicquid de me novi,
et virus evomui, quod tam diu fovi.
vita vetus displicet, mores placent novi;
homo videt faciem, sed cor patet Iovi.

Iam virtutes diligo, viciis irascor,
renovatus animo spiritu renascor;
quasi modo genitus novo lacte pascor,
ne sit meum amplius vanitatis vas cor.

Electe Colonie, parce penitenti,
fac misericordiam veniam petenti,
et da penitentiam culpam confitenti;
feram, quicquid iusseris, animo libenti.

Parcit enim subditis leo, rex ferarum,
et est erga subditos immemor irarum;
et vos idem facite, principes terrarum:
quod caret dulcedine, nimis est amarum.

Chronicon Universitatis Pragensis

Anno Domini MCCCCXV sexta feria post Marcelli adductus est Magister Johannes Hus ad publicam audienciam et ibidem rex dixit: si non vult abiurare, comburatur. Et eodem die hora undecima infra eandem sessionem totus sol fuit eclypsatus et quasi tenebre facte, de quo non modicum, licet naturaliter contingebat, territi fuerunt quam plures.

Item eodem anno sabbato post Procopii ad testium depositionem sentenciatus et combustus et in pulverem redactus est Magister Johannes Hus, qui pro veritate evangelica gaudenter subiit crudelissimam depositionis sue diem seu mortem in civitate Constanciensi, ubi fuit celebratum concilium generale pro electione pape.

Anno domini MCCCCXVI sexta feria post festum pasche venit Magister Jeronimus Constanciam, qui post tres fere septimanas in redeundo Bohemiam captus in Hirschaw et Constanciam reductus et sabbato post Ascensionis domini combustus in eodem loco, in quo Magister Johannes Hus fuerat consumptus.

Extunc eorum discipuli et sequaces in Bohemia sacerdotes de terra expulerunt et combusserunt basilicas et monasteria ignis voragine consumpserunt. Ita quod omnia claustra seu monasteria preter tria, duo fratrum Minorum et unum canonicorum regularium in Wittingnaw, sunt annihilata et destructa et ignis voragine absumpta, imo omnes sacerdotes et alios, ubi potuerunt, occiderunt et combusserunt et per multos demum annos hic in terra et alibi trucidaverunt.

Eodem anno Magister Jacobellus cum Magistro Petro Theutonico de Drazdian incepit communicare populum laicalem sub utraque specie contra consuetudinem Romane ecclesie et contra preceptum sacri concilii Constanciensis. Tunc multi ex sacerdotibus simplicibus eis adhererunt et per totam terram discurrentes populum sub utraque specie communicaverunt asserentes in predicacionibus suis antiquos sacerdotes fures esse huius sacramenti. Tunc eciam parvulos in baptismo corpore et sanguine Christi communicabant et alia sacramenta non curabant.

Stabat Mater dolorosa

Stabat Mater dolorosa
iuxta crucem lacrimosa,
dum pendebat Filius.

Cuius animam gementem
contristantem et dolentem
pertransiuit gladius.

O quam tristis et afflicta
fuit illa benedicta
Mater Unigeniti,

que merebat et dolebat,
et tremebat, dum videbat
Nati penas incliti.

Quis est homo, qui non fleret,
Matrem Christi si videret
in tanto supplicio,

quis non posset contristari
piam Matrem contemplari
dolentem cum Filio.

Pro peccatis sue gentis
vidit Iesum in tormentis
et flagellis subditum.

Vidit suum dulcem Natum
morientem desolatum,
dum emisit spiritum.

Eia Mater, fons amoris,
me sentire vim doloris,
fac, ut tecum lugeam,

fac, ut ardeat cor meum
in amando Christum Deum,
ut sibi complaceam.

Sancta Mater, istud agas
Crucifixi fige plagas,
cordi meo valide.

Tui Nati vulnerati,
tam dignati pro me pati,
penas mecum divide.

Fac me vere tecum flere
Crucifixo condolere,
donec ego vixero,

iuxta crucem tecum stare,
et me tibi sociare
in planctu desidero.

Virgo virginum preclara,
michi iam non sis amara,
fac me tecum plangere.

Fac, ut portem Christi mortem,
passionis fac consortem,
et plagas recolere.

Fac me plagis vulnerari,
cruce hac inebriari
et cruore Filii.

Flammis ne urar succensus,
per te, Virgo, sim defensus
in die iudicii.

Christe, cum sit hinc exire,
fac per matrem me venire
ad palmam victoriae.

Quando corpus morietur,
fac, ut anime donetur,
paradisi gloria. Amen.